



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1546. usque ad annum 1549

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770

VD18 90118529

Caput XV. De Ordinariorum Jurisdictione in Hospitalia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66608)

Sæcul. XVI IX Extra suas Ecclesias sine licentia, aut in propriis Ecclesiis reclamante Episcopo ad populum dicere, Indulgentias denuntiare, SS. Sacramentum exponere, excommunicatos, qui jam sunt denuntiati, absolvere, aut in Diocesi absque Episcopi permisso Eleemosynas colligere nequeunt. X. Denique ejus jurisdictioni subduntur, quando in exercenda jurisdictione, vel administrandis Sacramentis graves committunt errores: si vero obedire renuunt, eorum Ecclesiæ interdicto subjici queunt (*).

CAPUT XV.

De Ordinariorum Jurisdictione in Hospitalia.

Curent Ordinarii, ut Hospitalia quæcumque a suis Administratoribus, quocumque illi nomine censeantur, etiam quomodolibet exemptis, fideliter & diligenter gubernentur, constitutionis Concilii Viennensis, quæ incipit, quia contingit, forma servata, quam quidem constitutionem eadem sancta Synodus innovandam duxit, & innovat, cum derogationibus in ea contentis.
Igitur

(*) Hanc in rem plures, eæque gravissimæ fieri possent, ac deberent animadversiones, sed quid demum hæc ad Historicum?

Igitur Episcopis incumbit cura, ut Sæcul. XVI.
 suæ Diœcesis Xenodochia rite admini- A.C. 1547.
 strentur, proin Administratores de suo
 munere monendi, eosque ad illius ra-
 tionem cogendi, imo & eosdem a suis
 Officiis amovendi, aliosque subrogandi
 jus illis competit, nec minus possunt eti-
 am Hospitalia lustrare, nisi illa imme-
 diate, ut vocant, Regum jurisdictioni
 sint obnoxia; in hoc enim eventu ho-
 rum licentia ipsis est necessaria. Præ-
 terea ad Episcopos pertinet harum æ-
 dium redditus Leprosorum vel infantum
 expositorum sustentationi attribuere, si
 vero ejusmodi homines haud amplius
 in quadam urbe reperiantur, valent
 hosce proventus ad alios pios usus im-
 pendere, ita tamen, ut semper magis
 piam Fundatorum voluntatem assequi
 satagant: id tamen ut facere possint, ex
 Capitulo juxta arbitrium suum feligen-
 do duarum partium suffragia concurre-
 re debent. Insuper Episcopi nulli ad-
 ministrationis curam ultra trimestre con-
 cedant, sed absque ulla spe veniæ reos
 ad fructuum restitutionem compellant.
 Ea autem, quæ hoc in loco de Noso-
 comiis dicuntur, pari etiam ratione de
 aliis locis ad sublevandas pauperum
 miserias intelligenda veniunt, si vero
 hæc loca in titulum sunt erecta, tunc
 Titularis rationem reddere non tenetur,

Sæc. XVI.
A.C. 1547.

quia proprium suum bonum administrat, sed tunc duntaxat Episcopi est, ut foundationes rite adimpleri invigilet, atque ad id Titularem adstringat.

Omnibus hisce Capitulis in Sessione perlectis, atque approbatis sacra Synodus proximam Sessionem celebrandam indixit feria quinta post Dominicam, ut vocant, *in Albis*, seu *Quasi modo*, quæ illo anno in diem vigesimam primam Aprilis incidit.

§. XXI.

Synodi Bononiam transferendæ propositio a Legatis facta.

*Pallav. hist.
Conc. Trid.
l. 9. c. 14. n.
4. & 5.*

Bi-duo post absolutam Sessionem septimam Legati convenerunt, atque habito conventu dogmata de Sacramentis ulterius discutere constituerunt, ac præprimis de Eucharistia egerunt, verum haud diu protrahebatur examen; quippe Patres repentina Henrici Loffredi Caputaquensis Episcopi, ac plurium aliorum morte perterriti verebantur, ne morbus, quo Tridentinæ urbis incolæ potissimam partem laborabant, contagionis speciem contineret, atque ipsi exinde rebus adeo seriis adhucdum pertractandis haud ultra sese impendere possent, quocirca sese recipere intenti diutius in ea urbe mora-